



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

30. Dies Decemb. Tempus non erit ampliùs. Apoc. 10. 6.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

1050 *Christiani Militis* Decemb.
pientiam nusquam deserit? sed quidquid fieri posse
intelligit, hæc facere potest, & facere potest volendo,
Tuum velle, posse est: & promptius Tibi res est effi-
cere; quàm nobis cupere, aut fingere. Nam nec ser-
vis Tibi, nec molitione opus est; ad unicum vocis
tuæ sibilum, ex nihilo suo mundi advolant, & ante
Te provoluti, ac curvati dicunt: Ab sumus. O parve,
in fœno Deus! hæreo, stupeo, obrigesco: mens, sen-
sus, cogitatio, ratio me deficit; dum tua in Te, Te in
tuis contemplor. Tu solus mihi sufficis. Tu mihi for-
licitas, & gaudium; Tu Beatitudo, & vita: Tu A-
mor, & desiderium: Tu cœlum & terra: Tu unus,
mihi es omnia.

Fers animum lesum; nisi ames super omnia Iesum.

30. DIES DECEMB.

Tempus non erit ampliùs. *Apoc. 10. 6.*

Tempo- I.
ris utilis
usura.

UBi in novissima hora exierit è
corpore spiritus; mox tibi di-
cetur: *Tempus non erit am-
pliùs.* Ut ergò, in hac vita,
quæ est Phase, (a) id est, transitus, sic transeamus per
bona tēporalia, ut non amittamus æterna; imò ut no-
vissima hora, cum Christo transeamus (b) *ex hoc mun-
do ad Patrem*, suggero hoc penultimo anni die que-
dam documenta. Quot annis ad sex vel octo dies ab-
de te in solitudinem; & ut Christus, dic ad illam (c)
animi turbam tumultuantem: Recedite. Sequere con-
siliū Ambrosii: (d) *Intra in recessum pectoris tui, to-
tus ingredere.* Edico aliquot dies quoddam curatū,
ac fee-

(a) *Exod. 12.* (b) *Joan. 13.* (c) *Matth. 9. 4.* (d) *1. 5. de
acram. 6. 3.*

ac frementium negotiotum, quasi institium. Via ad vitam, ut nulla certior; ita nec ulla compendiosior. O quæ in ista arcana solitudine, ignota hæctenus intelliges, inaudita percipies, inusitata facies! Verbo perstringam omnia. Illic labore minimo, fructu maximo, (a) *mutaberis in virum alterum*. Et tibi idem, quod Christo eveniet: (b) *Recessit ab eis & ferebatur in caelum*. Sic, ubi recesseris ab anxiiis curis, à populari tumultu, à civili strepitu; mox toto animo fereris à terra, ad cœlum, à vanitate, ad veritatem, à vitiis ad virtutes; ab hominibus, ad Deum; à tempore, ad æternitatem. Facile declinabis à malo, & inclinabis ad bonum, si cum Christo declines à turba. Ab anno dilabere ad menses. Ut quovis anno aliquot dies; ita singulis mensibus selige diem unum, quo ferieris à negotiis. Et ne cogaris dicere cum Job: (c) *Ego habui menses vacuos*; die uno, quot mensibus, tibi, Deoq; vaca. Hic sæpius à te ipso quære: quod à Caino Deus: (d) *Quid fecisti?* Quid hoc mente, quod non decebat, fecisti mali? quid, quod oportebat, fecisti boni? quàm multa fecisti, quibus Deum offendisti, mala; quibus tempus prodegisti, vana? Alia, ut sis alius, quàm feceris, facere propone: ac illo mense, omnia sic agas; ut optabis te egisse, cum animam ages.

II. Ut quot mensibus diem, sic quot hebdomadibus horam, negotiis subtrahere, & tibi, ac tuæ salutis impende. Die ergò septimâ, quæ est hebdomadis ultima; *Intra cubiculum tuum, & clauso ostio*, hinc rursus interroga, ut prius; *Quid fecisti?* Et ut villicus ille in Evangelio: (e) *Quid faciam?* Respice septem dies præteri-

(a) 1. Reg. 10. 6. (b) Luc. 24. 51. (c) Job 7. 3. (d) Gen. 4. (e) Matth. 6. 6.

præteritos, prospice futuros: ex illis, quid fecisti? In his quid facies? Pudeat meminisse illius, quod de Jacob dicitur: (a) *Servavit Jacob pro Rachel septem annis: & tu pro Deo, nec septem diebus.* Quid faciam? Tot saltem consecra dies Deo, pro tua salute, quod Jacob Labano annos pro sua Rachele. Dicebat ille: (b) *Serviam tibi pro Rachele septem annis.* Quid tu? Serviam Tibi, ô Deus, pro anima mea septem diebus! ô verè sacrum septenarium! si per septem dies, totum te impendas in Dei obsequium. Ergò, ne inter omnia tua opera, perdas operam, per horam die septimo requiesce ab omni opere. Fac jam gradum ab Hebdomade, ad diem; ut quælibet dies, sit tibi dies salutis: orto jam die, impende horæ dimidium salutis. Hæc Christi (c) ad Jerololymâ querimonia, sit tibi quotidiana meditandi materia: (d) *Quia si cognovisses & tu, & quidem hac die tuâ, quæ tibi ad pacem.* O si cognosceres, quæ tibi evenient super omnem fidem, incredibilia; super omnem timorem, horribilia, super omnem stuporem, admirabilia, in articulo illius diei; quandò recoles pavidâ mente, & repetes querulâ voce ille verba Job: (e) *Dies mei transferunt.* Quid hoc die non ageres? ô quanta, hâc die tibi adest fœlicitatis occasio! vide ne desis occasione? Hæc est dies tua (f) *Ergò, salva animam tuam?* Hæc est dies tua: (g) *Ergò, miserere anime tuæ?* Hæc est dies tua: Ergò sic componas te, & disponas tua: ut quodlibet verbum, cogitatio, opus, sit semina æternæ fœlicitatis, sit fructus fœlicis æternitatis. Denique quævis dies, erit tibi salutis; si quâvis die credas te obiturum diem.

III. Post

(a) *Matth. 6. 6.* (b) *Gen. 29. 20.* (c) *Luc. 9. 42.* (d) *Gen. 7. 13.* (e) *Job. 7. 18.* (f) *Gen. 19. 17.* (g) *Eccl. 30. 24.*

III. Post diem, sequitur hora. Cujuslibet horæ exordio, insonet auribus tuis vox illa Paulina: (a) *Hora est, jam nos de somno surgere.* Quia unâ horâ es morti vicinior, & æternitati propinquior: quia fors hæc, (b) *novissima hora est.* Quia fors hæc horâ, audies illud feralè: (c) *redde rationem villicationis tuæ.* Quia fors hæc horâ, (d) *anima tua ibit in domum æternitatis.* Hæc horâ: (e) *quia periclitamur omni hora.* Surge ergò, qui dormis, & exurge toto animo, & sonante horæ præludio, dic cum Juditha, *Confirma me, Domine Deus, & respice in hac hora, ad opera manuum mearum.* Hæc horâ quidquid agam, quidquid pariar, propter te omnia, contrâ te nihil. Sit tibi quævis hora, ut prima, & novissima, & eris primus, qui virtute es novissimus. Post omnia vitæ tempora, superest quod est in tempore minimum, Momentum. Non tamen hoc parvi facias: quia, quod in tempore minimum est spatio, maximum est pretio. Et ideò nullum est in vita momentum, quod non sit maximi momenti. Nullum sit momentum, quo non aspiret ad Deum; quia nullum est momentum, quo non præservaris à Deo. Quodvis temporis momentum, gradus est ad sepulchrum:

Quodvis momētum, est nobis gradus ad monumentum.

31. DIES DECEMB.

Transierunt. Sapient. 5.

Vanitas
omnium
rerum.

T Am propè anni exeuntis premimus metam: utinam, sine anni malè exacti luctu, & metu! Et quia tacitis, uti annis senescimus: ita, & passibus ad sepulchrum.

(a) Rom. 13 II. (b) Joan. 2. 18. (c) I. no. 16 2. (d) Eccl. 12. 5. (e) I. Cor. 15. 30.